



Orat autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

—\*— DIE XXV. MARTII. —\*—  
**In Annuntiatione B. Mariae V.**  
 —\*— Duplex j. classis. —\*—

**S**I hoc Festum venerit Feria vj. in Parasceve vel Sabbato sancto, transferendum erit in Feriam ij. post Dominicam in Albis tamquam in sedem propriam, integra cum solemnitate ac feriatiōe et sine Octava, servato tamen ritu Paschali. Si vero occurrerit in Dominica Passionis, transferatur in Feriam ij. immediate sequentem: quod si incidat in Hebdomadam majorem vel Paschalem, ad enuntiatam Feriam ij. post Dominicam in Albis amandetur, ac non nisi Festo primario ejusdem ritus occurrente valeat impediri, quo in casu in sequentem diem similiter non impeditam transferatur.

Omnia ut in Festis B. Mariae Virg. [208] praeter ea quae hic habentur propria.

IN I. VESPERIS.

Añae et Capitulum de Laudibus. 600.

**Hymnus.**

**A**VE maris stella,  
 Dei Mater alma,  
 Atque semper Virgo,  
 Felix caeli porta.  
 Sumens illud Ave  
 Gabriélis ore,  
 Funda nos in pace,  
 Mutans Hevæ nomen.  
 Solve vincla reis,  
 Profer lumen cæcis,  
 Mala nostra pelle,  
 Bona cuncta posce.  
**M**onstra te esse matrem,  
 Sumat per te preces,  
 Qui pro nobis natus,  
 Tulit esse tuus.  
**V**irgo singularis,  
 Inter omnes mitis,  
 Nos culpis solutos,  
 Mites fac et castos.  
**V**itam præsta puram,  
 Iter para tutum,  
 Ut videntes Jesum,  
 Semper collatémur.  
**S**it laus Deo Patri,  
 Summo Christo decus,  
 Spiritui sancto,  
 Tribus honor unus. Amen.  
**V.** Ave María, grátia plena. **R.** Dóminus tecum.  
**A**d Magnif. Añae. Spiritus sanctus in te descéndet

María, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

**Oratio.**

**D**Eus, qui de beátæ Mariæ Virginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscipere voluisti : præsta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei crédimus, ejus apud te intercessionibus adjuvémur. Per eúndem Dóminum.

**In Quadrag. Commem. Feriæ.**

**Ad Completor. et per Horas in fine Hymn. dicitur.** Jesu, tibi sit glória, Qui natus es de Virgine.

**AD MATUTINUM.**

**Invitat.** Ave María, grátia plena : \* Dóminus tecum. **Ps. Veníte. 2.**

**Hymn. Quem terra. [211]**

**In I. Nocturno.**  
De Isaía Prophéta.

**Lectio j. Cap. vij. b**

**S**T adjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens : Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsu supra. Et dixit Achaz : Non petam, et non tentábo Dóminum. Et dixit : Audíte ergo domus David : Numquid parum vobis est, moléstos

esse homínibus, quia molésti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce virgo concípíet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Butyrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et elígere bonum.

**℟.** Missus est Gábriel Angelus ad Mariam Virginem desponsátam Joseph, nuntians ei verbum : et expavéscit Virgo de lúmine. Ne tímeas Maria : invenísti grátiam apud Dóminum : \* Ecce concípíes et páries, et vocábitur Altíssimi Fílius. **℣.** Dabit ei Dóminus Deus sedem David patris ejus, et regnábit in domo Jacob in ætérnum. — Ecce.

**Lectio ij. Cap. xj.**

**E**T egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. Et requiescet super eum spíritus Dómini : spíritus sapiéntiæ et intelléctus, spíritus consílii et fortitúdinis, spíritus sciéntiæ et pietátis, et replébit eum spíritus timóris Dómini : non secúndum visiónem oculórum judicábit, neque secúndum auditum áurium arguet : sed judicábit in justítia páuperes, et

arguet in æquitáte pro mansuétis terræ : et percútiet terram virga oris sui, et spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium. Et erit justítia cingulum lumbórum ejus : et fides cinctórium renum ejus.

**℟.** Ave María, grátia plena, Dóminus tecum : \* Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi : quod enim ex te nascétur Sanctum, vocábitur Fílius Dei. **℣.** Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognóscó? Et respóndens Angelus, dixit ei. — Spíritus.

**Lectio iij. Cap. xxxv. b**

**L**ætábitur desérta et ínvia, et exsultábit solitúdo, et florébit quasi lílium. Gérminans germínábit, et exsultábit lætábúnda et laudans : glória Líbani data est ei : decor Carméli, et Saron, ipsi vidébunt glóriam Dómini, et decórem Dei nostri. Confortáte manus dissolútas, et gènu debília roboráte. Dicite pusillánimis : Confortámini, et nolíte timére : ecce Deus vester uliónem addúcet retributiónis : Deus ipse véniet, et salvá-

bit vos. Tunc aperiéntur óculi cæcórum, et aures surdórum patébunt. Tunc sáliet sicut cervus claudus, et apérta erit lingua mutórum : quia scissæ sunt in desérto aquæ, et torréntes in solitúdone. Et quæ erat árida, erit in stagnum, et sítiens in fontes aquárum.

**℟.** Súscipe verbum Virgo María, quod tibi a Dómino per Angelum transmíssum est : concípíes et páries Deum páriter et hóminem : \* Ut benedicta dicáris inter omnes mulíeres. **℣.** Páries quidem fílium, et virginitátis non patiéris detriméntum : efficiéris grávida, et eris mater semper intácta. — Ut. Glória Patri. Ut.

**In II. Nocturno.**  
Sermo sancti Leónis Papæ.  
**Serm. ij. de Nativ. Domini.**

**Lectio iv.**  
**S**EUS omnipotens et clemens, cujus natura bónitas, cujus volúntas poténtia, cujus opus misericórdia est ; statim ut nos diabólica malignitas venéno suæ mortificávit in vídiæ, prædestináta renovándis mortálibus suæ pietátis remédia, inter ipsa mundi primór-

dia præsignávit; denúncians serpénti, futúrum semen mulieris, quod nóxii cápitis elatióem sua virtúte contéret, Christum scílicet in carne ventúrum; Deum homínemque signans, qui natus ex Virgine, violatórem humánæ propáginis incorrupta nativitate damnáret.

**R.** Ecce virgo concípiet, et páriet fílium, dicit Dóminus : \* Et vocábitur nomen ejus Admirábilis, Deus, fortis. **V.** Super sólium David, et super regnum ejus sedébit in aetérnum. — Et vocábitur.

**Lectio v.**

**N**AM quia gloriabátur diábolus, hóminem sua fraude decéptum divínis caruisse munéribus, et immortalitátis dote nudátum, duram mortis subiisse senténtiam, seque in malis suis quoddam de prævaricatóris consórtio invenisse solátium; Deum quoque justæ severitátis exigente ratióne, erga hóminem, quem in tanto honóre condiderat, antiquam mutasse senténtiam: opus fuit, dilectíssimi, secréti dispensatióne consílii, ut incommutábilis Deus (cu-

jus volúntas non potest sua benignitate privári,) primam pietátis suæ dispositióem sacraménto occultióre compléret : et homo diabólicæ iniquitátis versútia actus in culpam, contra Dei propósitum non períret.

**R.** Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet : \* Et erit justítia cingulum lumbórum ejus, et fides cinctórium renum ejus. **V.** Et requiescet super eum spíritus Dómini, spíritus sapiéntiæ et intelléctus, spíritus consílii et fortitúdinis. — Et erit justítia.

**Lectio vij.**

**A**Dveniéntibus ergo tempóribus, dilectíssimi, quæ redemptióri hóminum fúerant præstitúta, ingréditur hæc ínfima Jesus Christus Dóminus noster, de cœlésti sede descéndens, et a Patérna glória non recédens, novo ordine, nova nativitate generátus : novo ordine, quia invisíbilis in suis, visíbilis factus est in nostris : incomprehénsibilis, voluit comprehénderi : ante témpora manens, esse cœpit ex témpore : universitátis Dóminus, servílem for-

mam obumbráta majestátis suæ dignitate suscepit: impassíbilis Deus, non dedignátus est homo esse passíbilis : et immortalis, mortis légibus subjacére.

**R.** Sancta et immaculáta virgíntas, quibus te láudibus éfferam nescio : \* Quia quem cœli cápere non póterant, tuo grémio contulisti. **V.** Benedicta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. — Quia. Glória Patri. Quia.

**In III. Nocturno.****Tertio loco dicitur Añã.**

Angelus Dómini. [220]  
Lectio sancti Evangélli secúndum Lucam.

**Lectio vij. Cap. j. c**

**I**N illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Náza-reth, ad virgínem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virgínis María. Et reliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

**Lib. 2. in Luc.**

**A**tent quidem divína mystéria, nec fáci-le, juxta prophéticum dictum, quis-

quam hóminum potest scire consílium Dei. Sed tamen ex céteris factis, atque præcéptis Dómini Salvatóris póssumus intelligere et hoc propensióris fuisse consílii, quod ea potíssimum elécta est, ut Dóminum páreret, quæ erat desponsáta viro. Cur autem non ántequam desponsarétur, impléta est? Fortásse ne dicerétur, quod concéperat ex adultério.

**R.** Congratulámini mihi omnes qui diligitis Dóminum, quia cum essem párvula, plácuí Altíssimo : \* Et de meis viscéribus genui Deum et hóminem. **V.** Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmílem respéxit Deus. — Et.

**Bened.** Cujus festum cólimus, ipsa Virgo virgínum.

**Lectio viij.**

**E**T ingressus ad eam Angelus. Disce virgínem móribus, disce virgínem verecúndia, disce oráculo, disce mystério. Trepidáre virgínium est, et ad omnes viri ingressus pavére, omnes viri affátus veréri. Discant mulieres propósitum pudóris imi-

tári. Sola in penetrálibus, quam nemo virórum víde- rit, solus Angelus repé- rit : sola sine cómite, sola sine teste, ne quo degé- nere depravaretur affátu, ab Angelo salutátur.

℞. Gaude María Virgo, cunctas hæreses sola inter- emísti, quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti : \* Dum Virgo Deum et hó- minem genuísti, et post partum Virgo invioláta permansísti. ℣. Beáta es quæ credidísti : quia per- fécta sunt ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino. — Dum. Glória Patri. Dum.

In Quadrag. Lectio ix. dicitur de Homilia Feriæ. Alias :

Lectio ix.

**T**Anti namque man- dáti mystérium non hóminis fuit, sed Angeli ore proméndum. Hódie primum audítur : Spíritus sanctus supervéniet in te. Et audítur, et créditur. Dénique, Ecce, inquit, ancilla Dómini : contíngat mihi secúndum verbum tuum. Vide humilitátem, vide devotióem. Ancíl- lam se dicit Dómini, quæ mater eligitur : nec repen- tino exaltáta promisso est. Te Deum laudámus. 20.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Missus est \* Gábriel Angelus ad Mariám Virgi- nem desponsátam Joseph.

2. Ave María, \* grátia plena, Dóminus tecum : benedícta tu in muli- eribus.

3. Ne tíneas María : \* invenísti grátiam apud Dóminum : ecce concípies et páries filium.

4. Dabit ei Dóminus se- dem David patris ejus, et regnábít in ætérnum.

5. Ecce ancilla Dómini : \* fiat mihi secúndum ver- bum tuum.

Capitulum. Isaiaë vij. c.

**E**Cce virgo concípíet et páriet fílium, et vo- cábitur nomen ejus Em- mánuel. Butyrum, et mel cómedet, ut sciat repro- báre malum, et elígere bonum.

Hymnus.

**O** Gloriósa Virginum, Sublímis intersidera, Qui te creávit, párvulum Lacténte nutris úbere.

Quod Heva tristis ábstu- lit,

Tu reddis almo gérmine : Intrent ut astra flébiles, Cœli reclúdis cárdines.

Tu regis alti jánuas, Et aula lucis fúlgida :

Vitam datam per Virgi- nem Gentes redemptæ pláu- dite.

Jesu, tibi sit glória, Qui natus es de Virgine, Cum Patre, et almo Spi- ritu,

In sempitérna sæcula.

Amen.

℣. Ave María, grátia plena. ℞. Dóminus tecum.

Ad Bened. Añæ. Quó- modo fiet istud, Angele Dei, quóniam virum non cognóscó? Audi María Virgo : Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altissimi obumbrábit tibi.

Oratio.

**D**Eus, qui de beatæ Mariæ Virginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem susci- pere voluísti : præsta sup- plicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei cré- dimus, ejus apud te inter- cessionibus adjuvémur. Per eúdem Dóminum.

In Quadrag. Commem. Feriæ.

Ad Primam in ℞. br. ℣. Qui natus es de Mariá Virgine.

AD TERTIAM.

Capit. Ecce virgo. supra.

℞. br. Spécie tua, \* Et pulchritúdine tua. Spécie

tua. ℣. Inténde, prospere procéde, et regna. Et pul- chritúdine. Glória. Spécie.

℣. Adjuvábít eam Deus vultu suo. ℞. Deus in mé- dio ejus, non commové- bitur.

AD SEXTAM.

Capitulum. Lucae j. d.

**D**Abitilli Dóminus Deus sedem David patris ejus : et regnábít in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis.

℞. br. Adjuvábít eam, \* Deus vultu suo. Adjuvábít. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábít.

℣. Elégit eam Deus, et præelégít eam. ℞. In ta- bernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM.

Capitulum. Isaiaë xj.

**E**Grediétur virga de ra- dice ejus ascéndet. Et requiescet super eum spi- ritus Dómini.

℞. br. Elégit eam Deus, \* Et præelégít eam. Elégit.

℣. In tabernáculo suo ha- bitáre facit eam. Et præ- elégít. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℞. Proptérea benedíxit te Deus in ætér- num.

## IN II. VESPERIS.

*Añæ et Capit. de Laudibus. 600. Psalmi ut in Festis B. M. V. [208]*

*Hymnus et V. ut supra in j. Vesperis. 595.*

*Ad Magnif. Añæ. Gábriel Angelus locútus est Mariæ, dicens : Ave grátia plena, Dóminus tecum : benedicta tu in mulieribus.*

*In Quadrag. Commem. Feriæ.*

DIE XXVII. MARTII.  
S. Joannis Damasceni  
Conf. et Ecclesiæ Doct.  
Duplex.

*Omnia de Comm. Conf. non Pont. [112] præter sequentia. (m. t. v.)*

*Ad Magnif. Añæ. O Doctor óptime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beáte Joánes, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.*

## Oratio.

**O**Mnipotens sempitérne Deus, qui ad cultum sacrárum imáginum asseréndum, beátum Joánnem cœlesti doctrína et admirábili spírítu fortítudine imbuísti : concéde nobis ejus intercessióne et exémplo ; ut quorum cólimus imáginés, virtútes

imitémur, et patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

*In Quadrag. Commem. Feriæ.*

*In j. Nocturno, Lectiones. Sapiéntiam. de Comuni Doct. [105]*

## In II. Nocturno.

## Lectio iv.

**M**oánes a pátrio loco Damascénus dictus, nóbili géneré natus, humánis divínisque lítteris a Cosma mónacho Constantinópoli fuit excúltus ; cumque ea tempestáte imperátor Leo Isáuricus nefárió bello sacrárum Imáginum cultum insectarétur, Joánes hortátu Gregórii tértii Románi Pontíficis, et sermóne et scriptis sanctitátem illíus cultus sédulo propugnávit. Quo factó tantam Leónis advérsus se invídiam concitávit, ut hic confictis lítteris, ipsum tamquam proditórem accusárit apud Damásci calípham, qui Joánnem consiliário et adminístro utebátur. Crédulus fraudi princeps Joánni nequídquam calúmniam ejuránti præcídí délixeram jussit. Verum innocéntiæ vindex ádfuit cliénti suo sanctíssima Virgo, cujus opem pré-

cibus eníxe imploráverat, ejúsque beneficio trunca manus restitúta ita bráchio cóaluit, ac si divisa nunquam fuisset. Quo máxime miráculo permótus Joánes, quod pridem ánimo concéperat, éxsequi státuit. Itaque ægre a calípha impetráto secéssu, suas omnes facultátes in egénos distríbuit, et servos libertáte donávit : tum sacra Palæstínæ loca peregrínus lustrávit, ac demum una cum Cosma institutore suo in Lauram sancti Sabbæ prope Hierosólymam concéssit, ibique Présbyter initiátus est.

*R.* Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum :  
\* Et dedit illi claritátem ætérnam. *V.* Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

## Lectio v.

**I**N religiósæ vitæ palæstra præclarióra virtutum exémplo mónachis præbuit, demissionis potíssimum et obediéntiæ. Abjectíssima quæque cœnóbii múnia véluti sibi própria deposcébat ac sédulo

obíbat. Contéxtas a se spórtulas venditáre Damásci jussus, in ea nimíchio civitáte ubi olim summis honóribus perfúctus fúerat, irrisionés ac ludíbria vulgi ávide captábat. Obediéntiam ádeo cóluit, ut non modo ad quémlibet præsidum nutum præsto esset ; sed ne causam quidem eórum quæ præcipiebántur, quamvis árdua essent et insólita, quærendam sibi unquam putárit. Inter has virtútum exercitatiónes, cathólicum dogma de sanctárum Imáginum cultu impénse tuéri nunquam déstitit. Quare ut ante Leónis Isáurici, ita póstmodum Constantíni Coprónyimi advérsus se ódia vexationésque provocávit ; eo vel magis quod libere arrogántiam imperatórum retúnderet, qui fidei negótia pertractáre, deque his senténtiam arbitrátu suo ferre audébant.

*R.* Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stollam glóriæ índuit eum,  
\* Et ad portas paradisi coronávit eum. *V.* Índuit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. — Et ad portas.

**Lectio vij.**

**M**irum sane est quam multa tum ad fidem tutandam, tum ad pietatem fovendam, et soluta et astricta numeris oratione, Joannes elucubraverit, dignus sane qui ab altera Nicaena synodo amplissimis laudibus celebraretur, et ob aureum orationis flumen Chrysorrhoeas appellaretur. Neque solum contra Iconomachos orthodoxam fidem defendit; sed omnes ferme haereticos, praesertim Acéphas, Monothelitas, Theopaschitas strenue impugnavit: Ecclesiae jura potestatemque egregie vindicavit: primatum Principis Apostolorum disertissimis verbis asservit; ipsumque ecclesiarum columen, infractam petram, orbis terrarum magistrum et moderatorem saepius nominat. Universa autem ejus scripta non modo eruditione et doctrina praestant, sed etiam quendam ingenuae pietatis sensum praeferrunt, praecipue cum Genitricis Dei laudes praedicat, quam singulari cultu et amore prosequatur. Illud vero maxime in lau-

dem Joannis cedit, quod primus universam theologiam recto ordine comprehenderit, et sancti Thomae viam complanaverit ad sacram doctrinam tam praecleara methodo tractandam. Tandem vir sanctissimus meritis plenus devexaque jam aetate, in pace Christi quievit anno circiter septingentesimo quinquagesimo quarto. Ejus Officium et Missam Leo decimus tertius Pontifex maximus, addito Doctoris titulo, universae Ecclesiae concessit.

✠. Iste homo. [120]

**In III. Nocturno.**

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

**Lectio viij. Cap. vj.**

**I**n illo tempore: Factum est et in alio sabbato, ut intraret Jesus in synagogam, et doceret: et erat ibi homo, et manus ejus dextera erat arida. Et reliqua.

Homilia sancti Petri Chrysologi. **Serm. xxxij.**

**I**n hoc homine omnium hominum imago figuratur, in hoc geritur cura cunctorum, in hoc universorum sanitas diu expectata reparatur. Aruerat enim ma-

nus hominis magis stupore fidei, quam siccitate nervorum, et plus culpa conscientiae, quam debilitate carnali. Antiqua ista nimis erat, et quae in ipso mundi principio contigerat aegritudo, nec arte hominis aut beneficio poterat haec curari, quae Dei fuerat indignatione contracta: tetigerat vetita, inconcessa praesumpserat, cum se ad arborem sciendi bonum malumque porrexerat: auctore indigebat, non qui malagma imponeret; sed qui posset illatam relaxare sententiam, et ignoscendo resolvere quod religaverat indignando.

✠. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ✠. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. — Ipse.

**Lectio viij.**

**I**n hoc homine nostrae tantum geritur umbra sanitatis; perfecta autem salus nobis reservatur in Christo: quia tunc ariditas

nostrae manus miseranda dissolvitur, cum cruore perfunditur Dominicae passionis, cum in illo vitali ligno crucis extenditur, cum carpit fructuosam de dolore virtutem, cum totam arborem salutis amplectitur, cum clavis Domini corpus affigitur, quo nunquam ad arborem concupiscentiae et aridae redeat voluptatis. Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium, professor debilitatis propriae, supernae pietatis exactor, testis divinae virtutis, Judicae incredulitatis assertor, surge in medium, ut quos non compungit virtus tanta signorum, quos non opera tantae salutis inclinant, vel debilitatis tantae miseratio constringat et mitiget.

✠. In medio Ecclesiae aperuit os ejus, \* Et implevit eum Dominus spiritu sapientiae et intellectus. ✠. Jucunditatem et exultationem thesaurizavit super eum. — Et implevit. Gloria Patri. Et implevit.

**In Quadrag. Lectio ix. de Homilia et Commem. Feriae in Laudibus.**

Extra Quadragesimam,  
Lectio ij.

**D**ixit hómini : Exténde manum tuam ; et exténdit, et restitúta est manus illius. Exténde manum tuam : jussióne sólvitur, quæ fúerat jussióne convincta. Exténde manum tuam. Agnóvit pœna júdicem, opus Deum, indulgéntia pródidit conditorem. Oráte fratres, ut sola synagóga tali debilitáte fuscetur, nec sit in Ecclesiá, cujus manum arefáciat cupiditas, cóntrahat avarítia, rapína debílet, tenácitas ægrótam constríngat ; sed si accíderit id ipsum, áudiat Dóminum et cito eam in ópere pietátis exténdat, reláxet et in misericórdia, in eleemósynis pórrigat. Sanári nescit, qui nescit páuperi foenerári.

Te Deum laudámus. 20.  
In Vesperis Commem.  
sequentis.

DIE XXVIII. MARTII.

S. Joannis a Capistrano  
Conf. Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf.  
non Pont. [112] præter  
sequentia. (m. t. v.)

Añã. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit

domum suam supra petram. *v.* Amávit.

Oratio.

**D**eus, qui per beátum Joánnem fídeles tuos in virtúte sanctíssimi nóminis Jesu de crucis inimicis triumpháre fecisti : præsta quæsumus, ut spirituálium hóstium ejus intercessióne superátis insidiis, corónam justítie a te accíperere mereámur. Per eúmdem Dóminum.

In Quadrag. Commem.  
Feriæ.

Inj. Noct. Lect. Beátus vir.  
de Communi ij. loco. [128]  
Extra Quadrag. de Scriptura  
occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iii.

**J**oannes Capistráni in Pelígnis ortus, et Perúsium studiórum causa missus, in christiánis et liberálibus disciplinis ádeo profécit, ut obegrégiam juris sciéntiam áliquot civitatibus a Neápolis rege Ladisláo præfécus fúerit. Dum autem eárum rempublicam sanctíssime gerens perturbátis rebus tranquillitatem revocáre studet, cápitur ipse et in víncula conjícitur : quibus mirábiliter eréptus, Francísci As-

sisiénsis régulam inter Fratres Minóres profitetur. Ad divinárum litterárum stúdiu progessus, præceptórem nactus est sanctum Bernardinum Senensem, cujus et virtútis exémpa, in cultu potíssimum sanctíssimi nóminis Jesu ac Deíparæ propagádo, egrégie est imitátus. Aquilánu episcopátum recusávit, et severióre disciplína atque scriptis, quæ plúrima édidit ad mores reformádos, máxime enítuit.

*v.* Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum : \* Et dedit illi claritátem ætérnam. *v.* Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

**P**rædicatióni verbi Dei sédulo incúmbens, Italiám fere univérsam lustrávit, quo in múnere et virtúte sermónis, et miraculórum frequéntia innúmeras prope ánimas in viam salutis redúxit. Eum Martínus quintus ad extinguéndam Fraticellórum sectam inquisitórem instituit. A Nicoláo quinto

contra Judæos et Saracénos Generális inquisítor in Italiá constitútu, plúrimos ad Christi fidem convertit. In Oriénte multa óptime constituit, et in concílio Florentíno, ubi véluti sol quidam fulsit, Arménos Ecclesiæ cathólicæ restituit. Idem Póntifex, postulánte Friderico tértio imperátore, illum apostólicæ sedis nuntium in Germániám legávit, ut hæreticos ad cathólicam fidem et princípum ánimos ad concórdiam revocáret. In Germániá, aliisque provinciis Dei glóriám sexenáli ministério mirífice auxit, Hussitis, Adamítis, Thaborítis, Hebræisque in número doctrínæ veritate ac miraculórum luce ad Ecclesiæ sinu tradúctis.

*v.* Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, \* Et ad portas paradísi coronávit eum. *v.* Índuit eum Dóminus lorícám fidei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vij.

**C**UM Callístus tértius ipso potíssimum deprecánte, cruce signátos mittere decrevisset, Joánnes per Pannóniám, aliásque provincias volitávit ;

qua verbo, qua litteris principum animos ita ad bellum accendit, ut brevi millia Christianorum septuaginta conscripta sint. Ejus consilio et virtute potissimum Taurunensis victoria relata est, centum ac viginti Turcarum milibus partim caesis, partim fugatis. Cujus victoriae cum Romam nuntius venisset octavo Idus Augusti, idem Callistus ejus diei memoriae solennia Transfigurationis Christi Domini perpetuo consecravit. Lethali morbo aegrotum et Villacum delatum viri principes plures visitarunt: quos ipse ad tuendam religionem hortatus, animam Deo sancte reddidit anno salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto. Ejus gloriam post mortem Deus multis miraculis confirmavit: quibus rite probatis, Alexander octavus anno millesimo sexcentesimo nonagesimo Joannem in Sanctorum numerum retulit, ejusque Officium ac Missam Leo decimus tertius, altero ab ejus canonizatione saeculo, ad universam extendit Ecclesiam. *R.* Iste homo. [120]

### In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii. Cap. ix.

**I**n illo tempore: Vocatis Jesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent. Et reliqua.

Homilia sancti Bonaventurae Episcopi.

Expositio in cap. ix. Lucae.



**A**postoli ideo nominati sunt, ut eorum commendaretur auctoritas. Apostolus enim missus interpretatur; missi autem fuerant ad praedicandum, secundum illud: Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare. Fuerunt ad praedicandum missi, non rem parvam, sed magnam, scilicet regnum Dei, per quod potest intelligi doctrina veritatis, juxta illud: Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. Potest etiam dici gratia Spiritus sancti, secundum illud: Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto; et infra: Ecce

regnum Dei intra vos est. Potest etiam dici gloria aeterna, juxta illud: Amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

*R.* Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. *V.* Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. — Ipse.

Lectio viii.

**O**mibus his modis Apostoli sunt missi praedicare regnum Dei, scilicet veram doctrinam, divinam gratiam et aeternam gloriam. Et quia propter auctoritatem praedicationis concesserat potestatem curationis, ideo subdit: Et sanare infirmos, scilicet misit ad confirmationem veritatis praedicare, secundum illud: Illi autem profecti, praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis. Unde signum missionis spiritualis ad praedicandum est sanatio au-

diendum a morbis vitiorum.

*R.* Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: \* Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. *V.* Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. — Et vos. Gloria. Et vos.

In Quadrag. Lectio ix. de Homilia et Commem. Feriae in Laudibus.

Extra Quadragesimam, Lectio ix.

**T**ria autem sunt signa evidantia, quibus probatur utrum praedicator a Domino sit missus ad Evangelium praedicandum. Primum est auctoritas mittentis, cujusmodi est Pontificis, et maxime Pontificis summi, qui est loco Petri, imo Jesu Christi: unde qui ab eo mittitur, a Christo mittitur. Secundum est zelus animarum in persona qua mittitur, quando scilicet principaliter quaerit Dei honorem et animarum salutem. Tertium est fructificatio et conversio auditorum. Per primum sunt nuntii Patris, per secundum Filii, per tertium